



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Innocentio XI. Ad Innocentium XII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

1. Ad Nostri &c. In Hostiæ consecratæ festum animadverttiur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74849)

BULLARIUM ROMANUM,

TOMUS SEPTIMUS,

SIVE

CONTINUATIO, PARS PRIMA.

INNOCENTIUS UNDECIMUS
PONTIFEX CCXLIV.

ANNO CHRISTI MDCLXXVI.

ANNO
1676.

INNOCENTIUS UNDECIMUS, Benedictus antea dictus, Filius
Livii Odescalchi Novocomensis, S. R. E. Presbyter Cardinalis tit. SS. Cosmæ, &
Damiani, & postea S. Honuphrii; Creatus die 21. Septembris 1676.
Coronatus die 4. Octobris ejusdem anni; Creavit Cardinales 43.
obiit die 12. Augusti 1681. Sepultus in Basilica Vaticana;
Vacavit Sedes mens. 1. dies 25.

ANNO
1676.

I.

In Hostiæ consecratæ furtum animadvertitur.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

*Servus Servorum Dei; Ad perpetuam
rei memoriam.*

Furtum
ipsum ex-
ponitur.

§. 1.



D Nostri Apostolatus au-
ditum detestanda quo-
rumdam iniquitatis filio-
rum pervenit audacia,
qui omnis impietatis ter-
minos supergressi, man-
us sacrilegas ne à Sancto
quidem Sanctorum, aug-
ustissimo scilicet Eucha-

ristiæ Sacramento, quod transiit de hoc mundo
ad Patrem Salvator, & Dominus Noster Jesus
Christus in memoriam cruenti illius Sacrificii, quo
se ipsum pro generis humani redemptione in ara
Crucis Deo Patri immolavit, ineffabili divini amo-
ris sui largitate corpus suum in cibum, & sangui-
nem in potum Nobis tribuendo instituit, continere
tanti tamque tremendi formidine Mysterii compul-
luntur.

Pœna ta-
xatur.

§. 2. Quocirca ad reprimendam horrendam ejus-
modi impietatem, quæ animum Nostrium ipsâ sui
immanitate confudit, in nomine ejusdem Domini
Nostri Jesu Christi exurgentes Motu proprio, non
ad alicujus super hoc oblata petitionis instantiam,
sed ex mera scientia, & deliberatione Nostri, de-
que Apostolicæ potestatis plenitudine, ac de Vene-
rabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium
in totâ Republicâ Christianâ adversus hæreticam
pravitatem Generalium Inquisitorum, à S. Sede
Apostolica generaliter deputatorum consilio, hæc
Nostrâ perpetuò valiturâ Constitutione auctorita-
te Apostolica statuimus, & decernimus, ut deinceps
omnes, & singuli utriusque sexus, qui de
furto Hostiæ consecratæ sive unius, vel plurium
particularum consecratarum cum Sacra Pyxide, vel
sine illa, per legitima indicia judicialiter juxta Sancti
Officii Inquisitionis contra hæreticam pravitatem
auctoritate Apostolicâ instituti regulas, & praxim

confessi, aut convicti fuerint, quive propriâ malitiâ,
vel de alterius ordine seu mandato, Hostiam, sive
unam, vel plures particulas consecratas prædictas
apud se retinuerint, vel aliud transferre, seu aspor-
tare præsumperint, condignis pœnis, & animad-
versionibus pro facinoris atrocitate puniantur, &
nisi constiterit, non fuisse ad malum finem, etiam
pro prima vice Curia Seculari tradantur, non ob-
stante minori ætate, dummodò vigesimum attingant
annum, quibus pœnis etiam mandantes sub-
jaceant.

§. 3. Porro omnimodam cognitionem causarum
furti Hostiæ consecratæ, sive unius, vel plurium par-
ticularum consecratarum hujusmodi cum Pyxide,
vel sine illa tanquam delicti hæresim, vel vehementem
hæresis suspicionem continentis, ad Judices Ec-
clesiasticos, & ad Sanctæ Inquisitionis Officium præ-
dictum privativè spectare eadem auctoritate harum
serie, & motu simili declaramus.

Causæ
cognitio
Ecclesiasti-
cis deter-
tur Judi-
bus.

§. 4. Decernentes præfentes Nostras Litteras, &
in eis contenta quæcunque, etiam ex eo, quod quilibet
in præmissis, seu eorum aliquo jus vel interesse
habentes, seu habere quomodolibet prætendentes,
cujusvis status, gradus, Ordinis, præeminentiæ, vel
dignitatis, sive alias specificæ & individuæ mentione,
& expressione digni illis non consenserint, nec ad ea
vocati & auditi, neque causæ, propter quas eadem
præfentes emanaverint, adductæ, verificatæ, vel suffi-
cienter, aut ullo modo justificatæ fuerint, aut ex alia
qualibet, etiam quantumvis juridica, & privilegiata
causa, colore, pretextu, & capite, etiam in corpo-
re Juris clauso, nullo unquam tempore de subreptione,
vel obreptione, aut nullitatis vitio, seu in-
tentionis Nostræ, aut interesse habentium consen-
sus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno
ac formali, & substantiali defectu notari, im-
pugnari, infringi, retractari, in controversiam vo-
cari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas
aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve
quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium in-
tentari, vel impetrari, aut etiam motu pari, & de
Apostolicæ potestatis plenitudine simili concessio vel
emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti,

Decre-
tum super
oblativis.

seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas præsentēs semper firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quodocunque spectabit, inviolabiliter, & inconcussè observari.

Clausula
sublata &
Decretum
irritans.

§. 5. Sicque, & non aliter in præmissis censi, atque ita per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis prædictæ Nuncios, aliosve quoslibet quæcunque præminentia, & potestate fungentes, & fundituros, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Deroga-
tio contra-
riis.

§. 6. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostræ, & Cancellariæ Apostolicæ Regulæ de jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, nec non quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis Statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis quibusvis personis, Collegiis, & locis, etiam specificis, & individua mentione dignis, etiam sub quibuscunque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, ac cum quibusvis clausulis, & Decretis, etiam irritantibus in genere, vel in specie, etiam motu simili, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, seu consistorialiter ac aliis quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac pluries confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua mentio, seu quævis alia expressio ad id servanda foret, illorum tenores, formas, causas, & occasiones præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, insertis, & exactissime servatis, & specificatis respectivè habentes, illis alias in suo robore permanfuris, hæc vice dumtaxat, ad præmissorum effectum plenissime, & amplissime motu pari derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Præsentēs
debitis in
locis affi-
genda.

§. 7. Volumus insuper, & eadem auctoritate prædictâ mandamus, ut eadem præsentēs, & in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam facilius deducantur, nec quispiam de eis ignorantiam prætereunda valeat, ipsas præsentēs, seu earum transumpta ad valvas Ecclesiæ S. Joannis in Laterano, & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, nec non Cancellariæ Apostolicæ, & in Acie Campi Floræ per aliquem ex Curforibus Nostris, ut moris est, publicatas, & affixas, omnes, & singulos, quos concernunt, seu concernent in futurum, perinde afficere, & arcere, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent.

Trans-
umpto-
rum fides.

§. 8. Utque earundem præsentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, ac sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus tam in judicio, quàm extrâ illud ubique locorum fides habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio
pœnalis.

§. 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ Statuti, Decreti, declarationis, derogationis, voluntatis, ac mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

D. 12. Mar-

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incar-

nationis Dominicæ 1676. quarto Idus Martii, Pontificatus Nostræ Anno primo.

S. Datarius. J. G. Slusius. V. S. de Curia S. de
Palastris D. Ciampinus.

Immunitates quædam & exemptiones à Vestigalium aliorumque onerum publicorum solutione revocantur.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

EX quo divinæ bonitati placuit humilitatem Nostram, nullo licet meritorum Nostrorum suffragio, in excelsa Sedis Apostolicæ specula collocare, omne quidem studium, operamque in id contulimus, ut spiritualibus Dominici gregis curæ Nostræ commissi commodis pro viribus Nobis à Domino concessis consuleremus. Dum autem salutare hoc propositum assidue urgemus, paternam sollicitudinem Nostram ad temporales quoque Nostrorum, & dictæ Sedis subditorum necessitates libenter convertimus, ut reductis ad æquitatis, & justitiæ normam illis, quæ publicam inopiam prægravant, Rempublicam, quantum Nobis ex alto conceditur, salvam præstare, illiusque utilitatibus providere satagamus.

§. 1. Cum itaque (sicut Nobis innouit) per quasdam immunitates, & exemptiones à vestigalium, aliorumque onerum publicorum solutione, & supportatione, quæ à nonnullis Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris, & Sede prædictâ, illiusque forsitan de Latere Legatis, ac aliis ejusdem Sedis, & Cameræ Nostræ Apostolicæ Officialibus, & Ministris, ad importunas supplicantium preces, seu alias quomodolibet concessæ reperiuntur, Camera prædictâ, ac Communitates, Universitates Civitatum, Oppidorum, Terrarum, & locorum temporalis S. R. E. ditionis eam redditum, & proventuum suorum diminutionem patiantur, ut non solum ordinariis oneribus, quibus de præsentibus tot sumptus in causam communem laudabili pietate factos supra vires gravatæ existunt, satisfacere nequeant, sed etiam novis oneribus universis, & præsertim pauperiores, ad supplenda ea, quæ aliquibus, illisque plerumque locupletioribus remittuntur, affligi, nisi res ad æqualitatem redigantur, necesse sit futurum.

§. 2. Hinc est quod Nos Camera, ac Communitatum, & Universitatum, subditorumque Nostrorum prædictorum indemnitati, & levamento, quantum cum Domino possumus, æquè principaliter consulere cupientes, ac fel. rec. Sixti V. Pauli etiam V. Urbani VIII. Innocentii X. Alexandri VII. Clementis IX. & Clementis X. aliorumque Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum, qui Constitutiones similium exemptionum, & immunitatum revocatorias ediderunt, vestigiis inhaerentes, nec non quarumcunque concessionum, immunitatum, & exemptionum hujusmodi, Litterarumque Apostolicarum sub plumbo, ac in simili forma Brevis, cedularum motus proprii, & chirographorum, cujusvis Romani Pontificis Prædecessoris Nostræ manu subscriptorum, ac aliarum Litterarum, & scripturarum desuper quomodolibet emanatarum, pluriesque etiam confirmatarum tenores, etiam veriores & datas, ac occasiones & alia, etiam speciali ac individua expressione digna, præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, & verbatim insertis respectivè habentes; Motu proprio, non ad cuiusquam nobis super hoc oblata petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ, & maturâ deliberatione nostrâ, deque Apostolicæ potestatis plenitudine hæc nostrâ perpetuè valiturâ Constitutione, omnes & quascunque exemptiones, & immunitates, à solutione subsidii triennialis, nec non quarti illius adjuncti, quatinorum

tii 1676.
Pont. anno
primo.

II.

Exordium
à tempora-
li non mi-
nus quàm
spirituali
gregis
commodo
promo-
vendo.

Exem-
ptiones e-
jusmodi
ordinariis
oneribus
oblunt.

Et non
exemptos
prægra-
vant.

Quare
Prædeces-
sorum ex-
emplo re-
vocantur.

carnis,